

# Bolesław Radomski

---

## Quo modo character baptismalis sit signum configurativum Christo?

---

Collectanea Theologica 13/1-2, 125-130

---

1932

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## NOTANDA.

### Quo modo character baptismalis sit signum configurativum Christo?

#### *Nota historica.*

Doctrina de charactere ut signo configurativo Christo prima vice appareat in theologia saeculo XII. Primus theologus, qui hanc doctrinam in lucem educit, est Alexander Halensis<sup>1)</sup>. Secundum Albertum Magnum „Character est configuratio spiritualis trinitatis creatae, quae est in imagine, ad Trinitatem increatam“<sup>2)</sup>. S. Thomas magis determinat doctrinam dicendo: „Character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt, quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso derivatae“<sup>3)</sup>. Scotus: „Patet ergo, quod ipse per hoc signum (signum crucis in capite accendentis ad baptismum) nihil aliud intendit, quam illud, quod fieri eum participativum divinarum operationum: unde hoc signum nihil aliud est, quam quaedam potentia, qua potest in actiones hierarchicas, quae sunt ministrations et receptiones sacramentorum et aliorum quae ad fideles pertinent: et ad hoc quod has operationes bene exerceat, indiget habitu gratiae, sicut et aliae potentiae habitibus indigent“. Salmantenses doctrina S. Thomae nixi docent: „Character est potestas spiritualis configurans homines sacerdotio Christi ad divina suscipienda vel agenda“<sup>4)</sup>. Haec definitio transit in posteriore theologiam<sup>5)</sup> et cum ea etiam ipsa doctrina de charactere ut signo configurativo. Notanda est hic etiam sententia P. Hurter, qui putat, quod character hominem configurat Christo-Regi in baptisme, Christo-Prophetae in confirmatione, Christo-Sacerdoti in ordinatione<sup>6)</sup>. Attendenda est etiam

<sup>1)</sup> V. Bartmann, t. II, pag. 222.

<sup>2)</sup> V. Revue Thomiste 1928, pag. 479.

<sup>3)</sup> V. Summa theologica, p. 3, q. 63, art. 3.

<sup>4)</sup> V. in Sent. 4, dist. 4, q. 1, art. 1. — Conf. Schwane t. III, pag. 612. — Etiam Bartmann, t. II, pag. 222.

<sup>5)</sup> V. Bartmann, ibidem.

<sup>6)</sup> Conf. Hurter, Theologiae specialis pars altera, Oeniponte ed. 3, 1881, n. 318, pag. 197.

sententia L. Farine, qui in suo studio dogmatico „Der sakramentale Character“ demonstrat: quod triplex character sacramentalis Christianum Jesu Christo configurat: in baptismate ut Homini-Deo, in confirmatione ut Deo-Regi, et in ordinatione ut Deo-Sacerdoti<sup>7)</sup>.

### *Termini similitudinis configurativaे.*

In quaestione praesenti duae sunt res sibi invicem compa-  
ratae: prima est Christus ut exemplum, secunda character ut exempli  
similitudo.

In charactere baptismali ut termino similitudinis configura-  
tivae iterum tres terminos distinguimus, qui sunt:

- 1) perfectio potentialis;
- 2) perfectio entitativa;

3) terminus relationis transcendentalis characteris baptismalis.

1) Perfectio potentialis intelligitur ea, quae est potentiae  
propria scil. potentiae relatae ad statum receptionis vel operationis.

2) Perfectio entitativa intelligitur ea, quae est entitati propria,  
in quantum haec sine ulla relatione ad receptionem vel operationem  
consideratur.

3) Relate ad tertium punctum notandum est, quod potentia  
per suam propriam perfectionem ad aliquem terminum ordinatur.  
Haec ordinatio potentiae nihil aliud est quam „ad aliquid se habere“. Quia haec proprietas „ad aliquid se habere“ consistit in prin-  
cipiis cuiuscumque potentiae ita, ut ab ea non distinguatur, hoc  
est: transcendet essentiam potentiae, et ideo vocatur relatio trans-  
cendentalis. Relatio transcendentalis ut perfectio est realis ordinatio  
ad quoddam obiectum, quod cognitione ipsius ordinationis intel-  
lectui conceptum formanti notificatur, licet intellectui obiectivisanti  
non pateat. Obiectum hoc modo cognitum est terminus relationis  
transcendentalis potentiae characteris baptismalis.

His statutis patet, quod potest quidquam esse dissimile secundum perfectionem potentiale ac perfectionem entitativam, et  
tamen in se similitudinem ad quidquam ut in termino suaे rela-  
tionis transcendentalis continere.

### *Status quaestionis.*

Interrogamus: in quonam horum enumeratorum terminorum  
in charactere baptismali distinctorum similitudo cum Christo con-  
tineatur:

- 1) utrum in perfectione potentiali;
- 2) an in perfectione entitativa;
- 3) vel in termino relationis transcendentalis.

Inde secundum triplicem hanc status quaestionis positionem  
tria puncta solutionis sequentur.

<sup>7)</sup> V. Strassburger theologische Studien, t. VI, fasc. 5, pag. 18—41.—  
Conf. Dict. de théol. cath., t. II, col. 1705.

*Solutio.*

1. *Utrum similitudo cum Christo in perfectione potentiali characteris baptismalis continetur?*

Ad quaestionem facilius solvendam in conceptu potentiae characteris baptismalis potestatem recipiendi et potestatem agendi distinguimus. Quod character baptismalis sit potentia receptiva, hoc ab omnibus admitti debet. Quod character baptismalis est etiam potentia operativa vel affirmatur<sup>8)</sup> vel negatur<sup>9)</sup> dependenter a principiis quibus quis theologorum utitur. Si quis enim characteri baptismali nullam causalitatem physicam attribuat, certe in eius doctrina character nullo modo potentia activa, sed mere passiva exit; si quis vero characteri baptismali causalitatem instrumentalem physicam attribuat, admittere debet, quod character gaudet potentia operativa.

In sententia eorum, qui tenent, quod character nullam potentiam operativam habeat, negari debet similitudo cum Christo ut sacerdote divina agente, quod attente rem consideranti patet.

In sententia eorum, qui tenent, quod character habet non solum potentiam receptivam, sed etiam potentiam operativam, exsurgit quaestio: utrum haec potentia operativa characteris baptismalis ut assimilans hominem Christo affirmari debeat. Haec res discussioni subdenda est.

Christus in sua natura humana habet gratiam sanctificantem, amorem supernaturem et potentiam sacerdotalem in ordine ad redimendum homines et fructus redemptionis redemptis applicandum. Gratiae enumeratae creatae sunt in Eo per naturam divinam ut causam principalem sine ulla causa instrumentalis. Si enim in Christo causa instrumentalis adesset, haec nihil aliud esset, quam character baptismalis; sed quia Christo character baptismalis non est tribuendus, ergo in creatione gratiae in natura humana Christi nulla cooperata est causa instrumentalis, sicut hoc apud Christianos fit. Sic perspicuum est, quod in τῷ „habere“ gratiam instrumentalem respectu gratiae sanctificantis, amoris supernaturalis et gratiae sacerdotalis, homo non est similis Christo. Ergo secundum potentiam operativam non continetur in homine similitudo cum Christo.

Utrum secundum potentiam recipiendi similitudo characteris cum Christo habeatur?

Character baptismalis dicit potentiam recipiendi gratiam sanctificantem, fidem, spem, caritatem, gratias speciales confirmationis, extremae unctionis, sacerdotii et matrimonii. Character

<sup>8)</sup> Secundum scholam Thomisticam character est potestas ad divina suscipienda vel agenda.

<sup>9)</sup> Suarez: Characterem esse (existimo) qualitatem primae speciei, scil. dispositionem seu habitum convenientem ipsi animae et formaliter proficientem illam, sine ullo ordine ad operationem (contra Thomam) sicut pulchritudo vel sanitas vel bona corporis dispositio.

baptismalis non est mera possiblitas recipiendi has gratias, sed est multiplex potentia receptiva cum relatione transcendentali ad memoratas gratias ordinata.

E contra, humanitas Christi nullas habet relationes transcendentes ordinatas ad memoratas gratias. Aut enim haec relatio contineretur in charactere baptismali Christi, aut in natura Eius. Sed non continetur in charactere baptismali, quia eo Christus caret, et non continetur in natura humana Christi, nam natura dicit meram non-repugnantiam h. e. possibilitem in ordine ad habendum has gratias: natura enim nullas habere potest relationes transcendentes in suis constitutivis ad supernaturalia, secus haec converterentur in naturalia. Sic neque secundum potentias receptivas character baptismalis dicit similitudinem cum Christo.

2. Utrum similitudo cum Christo in perfectione entitativa characteris baptismalis contineatur?

Similitudo repraesentativi cum repraesentato triplex esse potest:

1) intentionalis — secundum quod intellectus vel sensus assimilatur Christo;

2) generica vel specifica vel formalis — secundum quod perfectio generis vel speciei vel formalitatis communis est naturae repraesentantis et repraesentati;

3) imaginaria vel admodum imaginis — secundum quod appetet quaedam analogia apparentiarum repraesentantis et repraesentati.

Similitudo characteris cum Christo

1) nequit esse intentionalis neque per modum actus neque per modum habitus.

Non per modum actus, nam non est species impressa seu prima intentio, neque expressa seu secunda intentio, neque species infusa.

Character non est intentio secunda, nam 1) haec est intelligere, attamen intelligere non est character, etenim characteris est esse potentia receptiva gratiarum specialium, et nullo modo esse operatio, 2) character est supernaturale quid, e contra intentio secunda naturale.

Character non est prima intentio, quae est species impressa. Haec enim venit in intellectum via naturali per abstractionem intellectus. Nostro in casu excluditur naturalis acquisitio speciei impressae, quia character est quid supernaturale.

Character baptismalis non est species infusa. De natura enim speciei infusae est repraesentare imaginem quamdam, ut haec intellectum ad actum secundum educere possit; nullo tamen modo ad speciem infusam pertinet esse potentia receptiva respectu cuiusdam potentiae receptivae vel cuiusdam vis coecae ordinis

irrationalis, in facultatem appetitivam superiorem virtute sibi concreata coece influentis<sup>10)</sup>.

Similitudo cum Christo nequit esse intentionalis pér modum habitus neque intellectualis neque volitivi.

Character non est habitus intellectualis. Habitus in intellectu est habitus eliciendi intentionem. Intentio ut actus elicitus est haec, a qua accipit speciem habitus. Si igitur species est similis cuidam enti, quodammodo assimilatur et habitus eidem enti in quantum continet terminum similitudinis in sua potentia. De natura igitur characteris est esse potentia receptiva gratiarum, non vero dispositiva intellectus ad intentiones eliciendas. Ergo habitus intellectualis non est character.

Character non est habitus volitivus.

Eadem de causa dicendum est, quod character non est habitus in voluntate, disponens facultatem appetitivam superiorem ad actum suum, etenim characteris est esse potentia receptiva gratiarum, non vero dispositiva voluntatis ad actum primum.

2) Similitudo characteris cum Christo nequit esse generica vel specifica vel formalis, quia character alterius est generis vel speciei vel formalitatis quam qualiscumque perfectio Christi.

3) Similitudo characteris cum Christo nequit esse imaginaria, nam haec est propria tantum sensibilium, etenim cognitio rei spiritualis, quae pro quodam intellectu rationem obiecti habet, fertur non in apparentias, sed in essentiam eius.

Sic videmus a charactere removendam esse similitudinem entitativam cum Christo.

3. Utrum similitudo cum Christo in charactere baptismali ad modum termini relationis transcendentalis contineatur?

Luxta primam sententiam character baptismalis in suis constitutivis potentiam tantum receptivam respectu gratiarum, in secunda sententia tum receptivam tum operativam continet. Secundum utramque hypothesis habetur in charactere perfectio gaudens relatione transcendentali ad memoratas gratias, distinctio tantum in responsione quaestioni habetur: utrum scilicet in charactere relatio transcendentalis habeatur, vi cuius character se habet ad gratias ut recipiens tantum, an etiam ut instrumentaliter operans. Haec transcendentalis relatio est quaedam ordinatio characteris, secundum suam naturam considerati, ad gratiam sanctificantem, amorem supernaturem et gratiam sacerdotii<sup>11)</sup>. Sic patet, quod

<sup>10)</sup> Gratiae speciales, quae a charactere recipiuntur, non sunt habitus vel dispositiones cuiusdam potentiae, sed facultates organismi supernaturalis a potentia naturali distinctae.

<sup>11)</sup> Cur in his tribus gratiis similitudinem cum Christo et non in aliis ponamus?

Nam in Christo haberi potest et adest gratia sanctificans, amor supernaturalis et gratia sacerdotalis, nequit vero haberi fides, neque spes,

ordinatio haec, quae est ad determinata obiecta, in principiis naturae characteris sistit. Propterea, si quis naturam characteris perfecte cognoscit, nota ei fieri debet relatio transcendentalis, ut pars formalis naturae characteris. At relatio transcendentalis, de cuius essentia est ad aliud determinatum obiectum se habere, per suam naturam est notificativa ipsius determinati obiecti, ad quod se habet. Ergo intellectus intuens relationem transcendentalem, in ea cognoscit et terminum eius, non quidem cognitione obiectivisante, sed formalitatem termini concipiente. Cognitio haec non obiectivans sed tantum formalitatem concipiens est cognitio omnium gratiarum, quae a charactere baptismali recipi possunt, inter quas etiam tres gratiae memoratae continentur. Si haec tres gratiae cognoscuntur, cognoscitur etiam similitudo cum Christo.

Sic character baptismalis per suam relationem transcendentalem ad similitudinem cum Christo est notificatus similitudinis, quamquam eam in sua natura formaliter non continet.

### *Conclusio.*

Speculatio nostra cogit nos ad formandam thesim sequentem: Similitudinem cum Christo constituunt tres gratiae:

- 1) gratia sanctificans,
- 2) amor supernaturalis,
- 3) gratia sacerdotalis.

Character baptismalis non assimilat hominem Christo per suam perfectionem potentialem, neque per suam perfectionem entitativam, sed per relationes transcendentales in constitutivis suarum potentiarum haerentes, ordinatas ad gratiam sanctificantem, amorem supernaturalem et gratiam sacerdotii sensu stricto considerati.

*Leopoli*

*B. Radomski.*

---

neque gratia confirmationis, neque extremae unctionis, neque matrimonii, quia sunt gratiae propriae eorum, qui viatores dicuntur in statu naturae lapsae constituti. Sic videmus, quod per tres tantum gratias homo dicit similitudinem cum Christo.